



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod Barbari propter exercitus Romani defectionem, audaciam sumentes,  
illum adorti à Germano fusi prostratique sunt. Capvt IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



EVAGR. HISTORIAE

grauiter agitatam versus septentrionem ita inclinabatur, vt trabes ligneas eijceret, quæ cū ingenti fragore conciderūt, hemisphærio in proprium locū resiliente, & velut perpendiculo quodam directè locato. Multæ etiā partes Ostracina, & Psephium, de quo supra diximus, & omnia illa loca, quæ Brisia vocantur, quinetiam ædificia sanctissimi templi Deiparæ Mariæ corruerunt, media quadā porticu mirū in modū cōseruata. Porro autē oēs turres quæ in plano constructæ erant disiectæ sunt, reliquo ædificio, pinnis muri exceptis, integro stante manenteq; Pinnarū autē lapides nonnulli retro pulsi, minime tamen prolapsi sunt. Alia præterea templa, & vtrunq; balneū publicū, quod duobus distinctis temporibus inseruit, eadē oppressit calamitas. Multitudo quoq; promiscuè est eadē inuoluta clade: & vt quidam cōiecturā ex pane, q̄ ī tota ciuitate cōsumi solet faciūt, hæc lues sexaginta hominū millia extinxit. Verū episcopus præter omniū expectationē euasit incolumis, toto domicilio, in quo sedebat, ruinam passo, & solis illis, qui eū circūstitebāt seruatis, alio præterea nemine: qui illum omni festinatione subleuantes, cum terræmotus locum secunda concussione patefaceret, per funem demissum è periculo eripuerunt. Accidit autem in hoc infelici casu res quædam ciuitati persalutaris. Nam clemētia Dei propitij furorē suum mitigātis, & virga miserationis & misericordiarū peccata populi corrigentis, nullū incendium factum est, cum ingēs flāma, quæ partim ex foco, & lucernis tam publicè, quàm primatim accensis, partim ex culinis, balneis, & alijs locis propē infinitis erumpebat, totam urbem circuiret. Hoc terræmotu oppressi fuere tū nobiles & illustres viri quàm plurimi, tum Asterius vnā extinctus. Quam cladem vrbi inflictam pecunia sarfit imperator.

*Quod Barbari propter exercitus Romani defectionem, audaciam sumentes, illum adorti à Germano fusi prostratique sunt.*

CAPVT IX.

**Q**UOD autē ad exercitū attinet, eodem fere loco fuit: adeo vt Barbari persuasum habētes, neminē eos prohibiturū, quò minus suo more grassarētur, in fines Romanorū irruerent. Verū Germanus cū suis copijs illis obuiam profectus, vi manuq; sic profligauit, vt ne vnus feret reliquus



reliquus, qui cladem cæteris Persis nuntiaret.

*De imperatoris Clementia in eos qui duces suos  
deseruerant. CAPVT X.*

**E**Xercitum igitur pecunia remuneratur quidem imperator, sed Germanū aliosq; in iudiciū vocat: & tametsi contra omnes mortis pronūtiata fuit sententia, tamen neminē eorū vllō affici incōmodo passus est, sed munera illis impertijt. His rebus ita cōstitutis, Abari bis vsq; ad locū, qui lōgus murus appellatur, irruptione facta, Singedonem, Anchialū, totam Helladem, & alias præterea ciuitates & arces expugnans, sibiq; subijciūt, omnibus rebus ferro & igne vastatis, idq; cū multæ copię Romanorū in Oriente versarentur. Itaq; imperator Andreā suorū satellitū facile principē mittit, p̄suasurū exercitui, vt duces manipulares, & alios præfectos, quos antè habuerāt, admitterēt.

*Quòd Gregorius Theopolitanus episcopus, ad reconciliandum exercitum mittitur, & eius apud milites oratio.*

*CAPVT XI.*

**A**Ccum milites Andree hortationē ne audire quidem sustinerent, negocium ad Gregorium transfertur, nō solum q̄ res maximas cōmodē conficere poterat, sed quòd multū honoris ei iure debebat exercitus: quippe nō nulli milites ab eo pecunia liberaliter donati erāt, alij vestitu, cibo, & alijs rebus adiuti tum, cum in album militū relati, & per eum admissi fuerunt. Itaque nuntijs in loca singula missis, totius exercitus facile principes Litarbis (qui locus Antiochia abest circiter trecenta stadia) in vnum cōgandos curat. Ad quos cum accessit, genibus humi positus talem habuit orationem. Iam pridem mecum decreueram, ò Romani, (qui hoc nomen verè vsurpatis) ad vos iter suscepisse, quò tum de rerum præsentium statu vobiscum communicarem, tum illud vnà inire consilium, quod mea erga vos beneuolentia, quam vos vestris animis sine dubio percepistis satis iam tum confirmatam, cum naualem pugnam à vobis susceptam, tempestatemq; inde excitatam subsidijs opportunis ac necessarijs subleuauit. Verūm hæcenus illud à me dilatatum est, diuina fortasse prouidentia neutiquam potestatem concedente, quò tum Persæ vires ac fortitudinem Romanorum, à quibus etiam

Rt 2                      duce de-